



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

8. De Consecratione Episcopi, & ejus forma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

De transl. & ibi Gloss in V confirmatus, ac utro-
bique DD. Rota Decis 6 h. tit. in novis. & ex iure
communi potest exercere ea, quæ sunt iurisdic-
tionis vel dignitatis Episcopalis, uti excommu-
nicare, corrigere, iuramenta a vassallis recipere,
beneficia conferre, instituere, causas matrimo-
niales cognoscere, indulgentias concedere, & alia
similia, notata in cap. Accedentibus inf. De ex-
cessib. Pralat. & ibid Panormit n. 4. Non etiam
ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, veluti ordines
conferre, cap. Nostri 9. & alius h. tit. sicut nec ea,
quæ competunt Episcopo ex privilegio; qualia
habentur in cap. ubi. De pœnit. & remiss. cap. Quod
nonnullis De privileg. &c. ult. sod in 6. vel ex dele-
gatione, Felin in c. Eam te à nu 17. sup. De reser-
vacione in Praem. de elect. jub. n. 19. Nec isto iure
requiritur, ut Episcopus confirmatus adeptus sit
possessionem sive installationem vel investitu-
ram Panormit in cap. Transmissam 35. n. 3. h. tit. Fe-
lio, in cap. Ne Dei timorem n. 2. & seq. inf. De Si-
monia, Rota Decis. 182 n. 3. 5. & 6. p. 2. ad plenam
scilicet administrandi potestatem, nisi alicubi
contrarium consuetudine fuerit receptum, vel al-
lius sit in possessione, qui tunc requiritur, ut in-
ducatur, in possessionem per iudicem, etiam si
adversarius injuste possideat, Panormit. in d. cap.
Transmissam n. 3. Franc. Marc. 9. 49. p. 1. Iure novo
in Extrav. Injuncta De elect. in Extrav. communib.
opus est, ut Episcopus, si velit exercere ea, quæ
sunt iurisdictionis, post confirmationem suam,
obtineat litteras Apostolicas, alioqui nec admitti
nec recipi tamquam Episcopus, nec possessionem
Ecclesiæ sibi collatæ consequi potest Latè
Garz. de Beneficiis p. 5 cap. 4 §. 3 nu. 242. & seq.
quam Extravagantem postea Julius III. renova-
vit & amplius vit Constitutione suâ, incip. San-
ctissimus in Christo Pater, an. 1553. die 17. Maij
relata per Piafec. in Praxi Episcopali d. loco, ubi vi-
de, quomodo soleat prospici, ne Ecclesia vacans
ob moram intercurrentem in expeditione Bullarum
aliquid patiatur.

§. VIII.

De Consecratione Episcopi.

1. Consecratio à confirmatione intra tres menses ires
pendenda.
2. 3. A quibus fieri debeat & qua die.
4. Forma Consecrationis.
5. Effectus eiusdem.

6. Electionis hodie exiguum esse usum in Bel-
gio.

1. Episcopi electionem & confirmationem se-
quitur Consecratio, per quam matrimoni-
um cum Ecclesia consummari dicitur, c. 2. & c.
ult. inf. De transl. Episc. & antequam non dicitur,
quis Episcopus, sed Electus tantum, c. Nostri
9. h. t. & c. Tua 8. inf. De his qua sunt à Pralat. si-
ne cons. Capis. Ea ultra tres menses confirmatio-
ne, cessante legitimo impedimento, protrahi
non debet, ut colligitur ex can. Quoniam Dist.
75. & novissime ex Conc. Trid. Sess. 23. c. 2. De
reformat ubi pœnam statuit, ut, si intra tres men-
ses consecratio non suscipiatur, promotus tenea-
tur ad fructuum percceptorum restitutionem; si
intra totidem menses postea eam petere & pro-
curare neglexerit, ipso iure sit privatus Ecclesiâ
suâ. Idem Conc. Sess. 7. c. 9. decrevit, ut proro-
gationes de non celebranda consecratione ultra sex
menses concessæ nulli suffragentur.

2. Consecrandus est Episcopus ex Apostolo-
rum constitutione à tribus ut minimum ejus-
dem Provinciæ Episcopis, cæteris assensum
præbentibus & accedente de iure communi
jussu Archiepiscopi, c. Si Archiepiscopus, 6. inf. De
temporib. ordin. & c. Quod eadem 10. inf. De officio
jud. ordin. Quamquam melius foret, si ipse met
Archiepiscopus una cum Suffraganeis hoc
munus consecrationis obiret, d. c. cum c. seq. uti
olim fieri consuevit, ut patet ex can. Episcopi &
alii Distincti, 64. Ipse vero Metropolitanus non
nisi in civitate metropoli, comprovincialibus
ibidem convenientibus, Episcopus autem
comprovincialis ibi consecrandus est, ubi Me-
tropolitanus elegerit, can. ult. circa fin. Dist. 51.
Ex decreto Conc. Trid. celebrari consecratio
debet, si extra Curiam fiat, in Ecclesia, ad quam
promoti fuerint, aut in provincia, si commodè
fieri possit.

3. Congregatis autem ejusdem Provinciæ
Episcopis, fieri debet consecratio die Domini-
ca, & hora tertia lucis; scilicet secundum Can-
ones, can. Ordinationes Episcoporum 1. & can.
Quod die 5. Dist. 75. quia Episcopi vicem obti-
nent Apostolorum, quibus in die Penteco-
stes hora tertia Spiritus sanctus datus est: &
præmissio scrutinium cum precibus, d. can. Ordina-
tiones. Scrutinium verò sive examen ordi-
nandi

mandi in Episcopum fieri debet secundum ea, quae habentur in *can. Qui Episcopus. 3. Distinct. 23.*

4. In ipsa consecratione peragenda Episcopi duo ponunt & tenent codicem Evangeliorum super caput & cervicem ejus, qui consecratur, *d. 4. can. Ordinationes*: unoque super eo fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi praesentes manibus suis caput ejus tangunt, *can. Episcopus distinct. 15.* illudque una manibus inungunt sacro chrismate: quod ex oleo, nitorem seu puritatem conscientiae, & ex balsamo, odorem seu integritatem famae significante conficitur. Vide plenius *inf. tit. de sacra unctio*; sicut & de alijs caeremoniis ministeriorum, quae adhiberi solent in Pontificali Romano.

Postremo Episcopus consecratus Ecclesiae Romanae & ejus Pontificibus, fidelitatis juramentum praestat, juxta formam praescriptam in *can. Ergo N. Episcopus, inf. De jurejurando.*

5. Peractaque consecratione, aut elapso termino consecrationi praestituto, omnia beneficia Ecclesiastica, si quae habet, ipso jure vacant, libereque ab eo, ad quem provisio spectat, conferri possunt, *can. Cum in cunctis 7. §. cum verò h. tit. si modo habuerit possessionem*, vel per eum steterit, quo minus habuerit: nam ad vacationem utrumque requiritur, & consecratio seu adepta possessio, *can. Si quis Episcopi distinct. 92.* Innocent in *d. 1. Cum in cunctis. §. an. Staphil De vacat. per promotionem. nu. 2.* Antea vero non vacant, quandoquidem consecratio ex causa rejici possit a superiore, *can. Super his inf. de accusationib. Glos. ad dictum §. cum vero.* imò nec vacant, lapsis tribus mensibus, nisi habuerit administratio bonorum, Innocent. *d. loco.*

6. Denique, ut illud quoque breviter hic moneam, hodie exiguus videtur usus electionis: partim quia omnes Ecclesiae Cathedrales & Metropolitanae reservatae sunt dispositioni Sedis Apostolicae, per secundam Regulam Cancellariae; partim quia in pleisque Regnis, & praesertim in hoc Belgio, Principes ex indulto Pontificis nominant personas sibi probatas non tantum ad Episcopatus, sed etiam ad omnes primas dignitates, saeculares & Regulares: & super hujusmodi personis nominatis Capitulum fingit electionis suae processum.

¶: 30

TITULUS SEPTIMUS.

De Translatione Episcoporum.

1. Quid sit Translatio.
2. Cur propria auctoritate fieri nequeat.
3. Ex quibus causis fiat.
4. Quaestio, cur matrimonium spirituale inter Praelatum & Ecclesiam dissolvi possit, non etiam carnale consummatum.

Non solum per postulationem atque Electionem, verum etiam per Translationem eorum qui antea fuerunt, si ve postulati si ve electi, Ecclesijs providetur: ac proinde, postquam actum est duobus prioribus modis, ratio ordinis postulat, ut de hoc tertio agamus.

1. Est autem Translatio de una Ecclesia, quam quis obinet, si ve Episcopus si ve alius Praelatus exemptus, ad aliam majorem, auctoritate summi Pontificis, propter Ecclesiae necessitatem vel evidentem utilitatem, translatio seu mutatio, *can. Mutationes, can. Suus & can. Sicut vir. vii. q. 1.* Dixi, ad aliam majorem: quia ad majorem non fit translatio, *can. Legitimus distinct. 93. in fine.*

Dico, auctoritate summi Pontificis; quia licet Episcopus electus renuntiare juri suo liberè & pro arbitrio possit, *cap. In praesentia inf. de renuntiat.* nec à principio cogatur quis in virtute acceptare Episcopatum, *can. Gestis, can. Vbi ista distinct. 74.* tamen: postquam confirmatus vel consecratus est, non potest propria auctoritate propriam deserere Ecclesiam, & ad aliam se transfere, *e. 2. 3. & ult. h. t.* adeo ut, si contra fecerit, utraq; sit & propria & aliena privandus, ut nec illis praesideat, quos per superbiam sprexit, nec illis, quos per avaritiam concupivit, *d. e. 3. in fine.*

2. Ratio est, tum quia majores causae, cujusmodi est translatio Episcopi, atque aliae, quae à Glossa in *d. cap. Inter corporalia* certis verbis comprehenduntur, referendae sint ad Sedem Apostolicam: tum quia inter Episcopum si ve Praelatum & Ecclesiam spirituale quoddam matrimonium per electionem initietur, per confirmationem ratificetur, & per consecrationem consummetur, *d. e. ult.* ac proinde ma-